



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

Censvra R. P. Avgvstini De Castro Societatis Iesv, Philippi IV. Hispaniarum
Regis Concionatoris, ac Supremi Senatus Censoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

*CENSURA D. MELCHIORIS FVSTER LIB. ARTIVM MAGISTRI,
& jam in Academia bis Primarij Aristotelis Interpretis, sacre Theologiae Doctoris, & in eadem
Academia Professoris, utriusque facultatis Censoris, ac sanctae Metropolitanae Ecclesiae
Praepositi.*

DERENNE ac solemne percurri R. P. Dianae morale opus, sed novae ac nobili animatum aeternitate, pulcherrimis compositum areolis, pretiosis in unum tessellatum conchulis, amoenissimis distinctum viridariis, hiantibus floridulum agellis R. P. D. Martinus de Alcolea ex glorioso Carthusiensis familiae deserto per amoenam Resolutionum sylvam in formosum concinnavit viretum, umbrosam literaturae nemus, septos distinxit in hortos. Amplos & ventrosos offerebat Diana celeberrimae disciplinae Moralis calices, sed licet gemmatos propinabat dispersos: gravidas ostentabat, nitido clarentes auro, sententiarum spicas; sed spatiosis metendas arvis: Fundebat plenis calathis blandos, licet odoriferos flores; sed sic sparsis Sacrae Scientiae aspergebat aras, ut fasciculus ex suis omnibus, sive purpureis Sacramentorum doctrinae rosis, sive candidulis virtutum liliis plicaretur difficile, ut plenam spiraret fragrantiam, nectarium redoleret odorem. Protulerat uberes & maturescentes fructus, sed sic variis pendulos pomariis, sic crispis & comantibus cinctos foliis, ut omnes una excerpere manu lynceis servatum esset luminibus: sic radiant in Alcolea ut cuncta decerperet lynceus, & flores aureo filo texeret in corollas ejusdem coloris, ac fructus miro ordine ejusdem nitoris calatho promeret eburneo, & manu candida non calicem, sed cantharum effunderet dulciferum, ac indore anhelos cereales porrigeret in auratos manipulos dispersas spicas. Hoc fecundo sinu & gremio divite Dianae offert, & toti orbi doctissimum Alcolea. Mirum non est, ut scribat Diana epistolam per Excellentissimum Principem Duce de Montalto missam ad Alcoleam dicens: *Debitas tibi rependo gratias propter laborem quem suscipere dignatus es circa opera mea typis impressa. Erit enim opus nimis plausibile, & ab omnibus nimis expansis recipiendum, ne dicam amplius, quia laudando te, videor laudare me ipsum: & ideo ubique terrarum cum Alcolea audietur & Diana, & cum Diana Alcolea. Recognoscat Diana opus suum & Doctrina & verbis idem, ejusdem gemmis enitescens, sed miro acervatis artificio, novae & illustri insertis compagine. Clarum sane opus, condimentum studiorum palato dulcissimum, & ad Hyblaum nectar quo infunditur, dignum ut convolent litteratorum examina, & a toto Doctorum orbe excipiatur plausibus. Aspiciat igitur publicam lucem, fatiget prela pretiosus thesaurus ad commune bonum. Sic sentio. Valentiae 8. Novembris 1656.*

D. MELCHIOR FVSTER.

*CENSURA R. P. MARTINI PEREZ IN COLLEGIO D. PAULI SOCIETATIS IESU
Valentiae Doctoris Theologi, & Primarij sacrae Theologiae in Academia Valentina, atque in
Aragoniae Corona apud Inquisitores Apostolicos propositionum Fidei Censoris.*

T primum videre licuit laboriosum & eruditum opus, quo totam moralem doctrinam Reverendi admodum Patris Antonini Dianae variis Resolutionum Miscellaneis tractatibus longè lateque dispersum, facili methodo digestum in ordinem redegit Reverendus admodum sacri Ordinis Carthusiensis D. Martinus de Alcolea; miratus in primis hujus Religiosissimi Authoris ingenium, & indefessum laborem, non Censorem, sed laudatorem & encomiastem agere decrevi. Et quis enim non aeterna laude dignum opus existimet, in quo tot probatissima doctrinae opes, distillis in propriis locis repositae simul, & ordinatae exhibentur, ut eas possit regentis manus sine fastidio capere? Memini Divinum Opificem ipitio mundalis machinae, dum primum aquas produxisset, approbatae bonitatis elogium sibi illisse, donec eas in unum locum congregasset. *Dixit vero Deus, congregentur aquae quae sub caelo sunt in locum unum, & appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria, & vidit Deus quod esset bonum. Genes. 1. cap. vers. 9.* quasi ultima aquarum celebris commodatio, licet alioqui per se satis commendabiles essent, illarum congregationi servaretur. Crystallina quidem sunt disciplinae Moralis fluentia, quibus sapientissimus P. Antoninus Diana tot Doctissimorum hominum elogiis, jure ac merito celebratus, totum terrarum orbem irrigavit: sed quia variis erant tractatum tractatibus intercala, & eadem plerumque, licet novo uberioris doctrinae incremento, aucta reperebantur, plausum fortasse negare poterat retardatio, quærentium impatiens aviditas, nisi in unum congregarentur. Quod sane ea cum laude & dexteritate praestitit eruditissimus P. Martinus de Alcolea; ut nihil amplius ad plenum elogium & plausum desiderari posse videatur. Quamobrem meum judicium est hoc opus, in quo tanta Moraliū difficultatum varietas optimo ordine digesta concinnatur, dignum esse, quod publicam lucem videat, publice innixum utilitati profuturum. In Collegio Valentino D. Pauli Societatis Iesu, die 13. Octobris 1656.

MARTINVS PEREZ ab Vaano.

*CENSURA R. P. AVGVSTINI DE CASTRO SOCIETATIS IESU, PHILIPPI IV.
Hispaniarum Regis Concionatoris, ac Supremi Sqnatus Censoris.*

SATIUS semper fuit quam multa congerere, cuncta disponere. Multa Jesus Syrach congestit, cuncta, nepos illius digessit. Eo ordine Ecclesiasticum accepimus, cujus dispositionis ordinem ad Canonicum cursum adduxit Ecclesia. Opes hinc inde compilavit David, ut Deo templum extrueret. Salomon architectonica arte ordinans, disponens cuncta dedit honorem Deo, orbi miraculum. Sapiens aedificator primum fundamentum ponit, ait Apostolus. Pretiosissima quæque Israeliticus populus offert, ut Sacerdotale praescriptum aedificetur tabernaculum, sed Bezeleel & Obel Spiritu Dei afflantur, ut fabrica ordinatissima surgat. Dies me priusquam exempla deficient. Reverendus admodum Pater Antoninus Diana nihil non evolvit, invenit omnia, novit cuncta; Sed Spiritu afflatus alius tot lapides & ligna suppofuit, disposuit, imposuit, ut cuncta sibi invicem responderent, ut lectores omnino juvaret, & in compendio omnia certa ostenderet. Quis potior est? Judicio posteriorem. Habet Patris Antonini Diana doctrinae probatissimas magnorum virorum censuras, non novum expectat judicium. Ordo probandus venit ex Supremo Sqnatus

INTON
Opera
Tom. I & II
E III

natus præscripto. Hoc unum desideratur. Hic à Patre D. Martino de Alcolea Monacho Carthusiano datur, & is qui publicæ spectationi faciat satis, & studiosis facem præferat: ut quæ inventi Author labore, & studio, studiosus, prout habet opus, ordinatè requirat, facile conveniat. Est enim thesaurus emeris. Et scientia abscondita quæ utilitas matris, quæ? Ergo lucem, lucem digestam accipiant, ut sit publica utilitas, matrisque. Hic meus sensus in Collegio Imperiali Societatis Jesu Mattitenfi die 4. Septembris 1658.

AVGVSTINVS DE CASTRO.

Censura R. P. F. Acatij March. de Velasco Magistri sacri Ordinis Prædicatorum, Academia Valentina Cathedralis, utriusque facultatis Censoris, & Examinatoris Synodalis, in Provincia Aragonia olim Vicarij Generalis, & bis in Conventu Prædicatorum Prioris.

MULTOS in multis ad justiciam eruditiv gravissimus Antoninus Diana, fulgens quasi splendor firmamenti, cujus ferè innumerabiles casuum conscientia Resolutiones, Catholicorum censura approbatas, peculiari ordine & compendio pervias omnibus fecere aliqui. Modò admodum Reverendus Pater D. Martinus de Alcolea, si non cœlitus, certè à Carthusia Portæ-Cœli nobis mittit easdem Resolutiones non summatim, sed fusè sicut scripsit Author, at pulchriori ordine ac utiliori, quo quælibet difficultatis Resolutio ad manum statim sese offerat. *Omne vultu punctum qui miscuit utile dulci.* Utilitatem certè doctrinæ Dianæ dulcem nobis reddidit noster Pater Alcolea suo summo labore & industria eam digerendo, & unamquamque resolutionem in proprio suo loco collocando. Omnibus notum est sacratissimam Carthusianorum solitudinem similibus doctrinæ radiis assuetam esse mundum illuminare. Dignum censo, ut hoc opus communi detur utilitati. In Prædicatorum Valentino Conventu 3. Octobris ann. Domin. 1666.

Magister Fr. ACATIVS March. de Velasco.

Inter alia quæ ipsemet R. P. D. Antoninus Diana Patri Martino de Alcolea scripsit, hæc est illius prima clausula & S.

RECIPIO humanissimam literam tuam ad me missam ab Excellentissimo Domino meo Principe Paternionis, & tibi debitas rependo gratias propter laborem, quem suscipere dignatus es circa opera mea typis impressa. Erit enim opus nimis plausibile, & ab omnibus vultibus expansis recipiendum, ne dicam amplius, quia laudando te, videor laudare me ipsum. Et ideo ubique terrarum cum Alcolea audietur & Diana, & cum Diana Alcolea, &c. Prosequitur idem Diana in eadem epistola dicens: Rogo ut ad me mittas Frontispitium libri, & Epistolam ad Lectorem, Gaudeo, &c.

Concordat cum suo Originali.

Fr. JOSEPH COLUMNNA, Prior Portæ-Cœli.

Epistola secunda ad literam ipsiusmet R. P. Dianæ missarad V. P. D. Martinum de Alcolea Monachum, &c.

MENSIBUS elapsis recepi Epistolam tuam cum Frontispicio operis, Epistola ad Lectorem, & quibusdam foliis egregie dispositis, & ad illam statim respondi: sed temporum malitiâ, ut agnosco per aliam litteram tuam hoc mensis Februario receptam, ad te non pervenit. Gaudeo quòd bene vales, & spero ad multos annos.

Pars mea 12. est jam impressa Romæ, & statim iterum Venetiis, & ut mihi asserunt, nunc etiam erit impressa Lugduni: unde spero quòd quam citius erit in tuis manibus. Continet tractatum satis longum de consecratione Episcoporum: alium de Collocationibus, & Scriptionibus prohibitis tempore Conclavis; & aliquas quæstiones Miscellaneas. Si ita placuerit A. R. P. tuæ Frontispitium tui operis sic erit: Diana coordinatus, seu omnes Resolutiones Morales A. R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Clerici Regularis, Doctoris celeberrimi, ipsissimis verbis ad propria loca & materias fideliter dispositæ, ac distributæ. Opera noviter concinnata, & titulis novis, ac notis marginalibus clara luce, clariori dispositione illustrata, & in novem Tomos digesta per A. R. P. D. Martinum de Alcolea Monachum ex Regali & inclita Carthusia de Paulari, &c. Restat modò ut quàm citius opus tuum egregium typis mandetur. Et ita Doctissimus Pater Martinus Diana simul cum suo Diana orbem peragrat. Et ut si fieri potest, antequam moriar, oculis meis videam tuam impressionem. Vale vir doctissime, & te plurimum amantem redama, ac Deum pro me ora, Romæ die 24. Febr. 1659.

Additissimus in Christo tuus

ANTONINVS DIANA, Clericus Regularis.